

Meminit hujus serosæ substantiæ catarrhalis *per ignem*, ut se ipsum vocat *Helmontius philosophus*, sub nomine *latex humor neglectus*.

*Nonnulli* lympham à *Bartholino & Rudbeckio*, aquam nobilem & fluctuantem à *Zassio*, nutritium succum ab *Anglis*, rorem à *Bilsio* indigitari statuunt.

*Carolus Piso* colluviem vocat serosam & multorum morborum originem inde dependere ostendit.

Cur non ergo & catarrhi inde originem trahant, cum variè afficitur latex.

Per varia inquinamenta catarrhales in humano corpore latex ludit tragœdias, SECUNDUM ESSENTIÆ MODUM, cum peccat QUANTITATE, QUALITATE, ACTIVITATE, cum nimis copiosus, acidus, ponticus, falsus, austerus, acerbus, amarus, vel aliâ malignâ qualitate, unde epidemii catarrhi, præditus est, fores malo huic aperire potest.

MOTU cum peccat latex hic serosus, causæ locum tueri potest. GENERARI in capite vel cerebro tanta catarrhorum colluvies ob *δύσκειν πεπονησίαν* non potest, ut ostendit excellentissimus *Præses libro suarum consultationum 3. consult. 1.* MOTUS LOCALIS ut aliunde accedat, necesse est, dominante in toto corpore serosâ colluvie. Si illa cum sanguineâ massâ non in bonâ stet gratiâ, sed seditionem moveat & confœderationis legibus ruptis, hinc & inde moveatur, turgescat & ferociat, turbarum in capite plena sunt omnia, si illuc tendat. Primum fit *εὐμα δὲ μάλιστον* fluxiò impetuosè mota. Impetu fertur ex ostiolis & truncis venarum in arterias, ex arteriis majoribus in minores, ex minoribus in minimas, & porositates glandularum. Ex glandulis rursus elabitur in glandulosas carnes narium, linguæ, faucium, palati, gingivarum, imò ipsos pulmones, partim per arterias, partim per lymphatica vasa, quæ vasis pulmonum accumbunt.

MEMBRUM MANDANS sunt viscera *κρυώτατα* cor, jecur, imò totum corpus. VIÆ sunt arteriæ, & lymphatica vasa.

MODUS FLUXIONIS in mittentibus partibus robustis est *ὄσις* pulsio & expulsio; in debilibus recipientibus *ἔλξις* tractio caloris vel doloris ratione. Adjuvat